



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

S. Crvcis Collegivm Cameracense.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

S. CRVCIS COLLEGIVM
Cameracense.

Ioannes Episcopus Cameracensis, ex Cantore aulæ regiæ, Theodorico Episcopo defuncto in sede Cameracensi successit anno 866. & licet natalem non habeat, Sanctus tamen dicitur. Nam ad sepulchrum frigoretici & diuersis ægritudinibus occupati sospitatem eius meritis sunt consecuti. Sepultus est Cemeraci ad Sanctam Crucem, ibidemque à Gerardo XIII. suo successore condigno honore est eleuatus. Scripsit porro Hincmarus Archiepiscopus Remorum ad hunc virum Sanctum plures litteras.

Huius porro collegij S. Crucis auctor seu fundator fuit *Elbaudus* cognomento *Rubeus*, vir nobilis ac potens; quem falsò Archidiaconum vocat Christianus Massæus. li. 13. Chronicorum. Constat enim vxorem habuisse, vtpote cuius hodieque in precibus suis memores sunt eius loci Canonici. Idem Elbaudus exædificauit Parochialem S. Vedasti Ecclesiam, quam nunc collegiū Canoniorum S. Gangerici incolit. Obijt autem Elbaudus anno 1071. conditus in Odeio Aedis S. Crucis à se exstructæ.

CAPVT